

Hierin 7 Tafeln.
26. Juli 1899.

Ex libris


Hunnii, Arnstadt.
(Thuring.)

1884.

Auctor

Materiae Inscriptio loc. ann.

Dsp. Hoffm. c. Rsp.	De fortice cascinae eiusq. insignibus in medicina vinibus	1738.
Bachmer	De salutari viis vitae in morbis actione	1764.
Dochau. c. Hoff	De quatuor & quinque ratiis ex artu anteriorie mag- nique accendentibus	1744
Bachmer	De prolapso et inversione uteri ejusque vaginae relaxatione	1745
Bachmer c.	De urinoeste - et excretione	1768
Meider		
Bachmer	De confluxu trium caravum in dextro cor-	1763
c. Thune	o. atto	
Bachmer	De anatomie ovi humani foecundati sed	1763
c. Marai	deformis trimestri abortu ejus	
	et nonnulla de uracho humano	1763
Bachmer	De pulmonum cum encephalo consensor	1763
Wesche		
Bachmer	De febre scarlatina epidemice haeterus gnes	1764.
Ehrlich	rante.	
Bachmer	De transitu febrium benignarum in mali-	1764
Etherhausen	gnos praesertim in Tropia orientali	
Bachmer	De fluorio albi benigni in malignum	
c. Wichtl	transitu sine praevio contagio	1761.
Bachmer	De signo spasmi peripherici in febribus	1765
c. Moeller	continenibus	
Bachmer	De proxima febrium et in specie inflam-	
c. Brückner	matoriarum quarundam causa	1767
Bachmer	De generi materiae purulentae sine praec-	1767
c. Otto	rid inflammatione.	
Bachmer	De malignitate variolarum naturalium	
Menssen	temporivo desicatoriorum avertenda	1767
Bachmer	De ossium callo	1768
Bachmer	De danno ex retardata abscessuum	
c. Mistra	apertione	1765



2

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
SALVTARI
VIS VITAE IN MORBIS
ACTIONE.

PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
DOMINO
D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR.
ACADEM. CAESAR. NAT. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL. ET REG.
BEROL. SCIENT. SODALI

PATRONO, FAVTORE ET PRAECEPTORE
OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

PRO
G R A D V D O C T O R I S
SOLLEMNITER CONSEQVENDO
DIE IVLII cIɔcIcc LXIV.
H. L. Q. S.

PVBЛИCE DISSERET

AVCTOR

CAROLVS EPHRAIM THALHEIM
CONSTADIO - SILESIUS.

HALAE AD SALAM,
EX OFFICINA BEYERIANA.

DOMINI SANCTA TATIANA MAGISTER

SANCTA TATIANA
SANCTA TATIANA

DOMINI SANCTA TATIANA MAGISTER

V I R O
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO
ATQVE EXPERIENTISSIMO
MICHAËLI MORGEBESSER
MEDICINAE DOCTORI
LONGE LATEQVE FAMIGERATISSIMO, COLLEGII MED. ET SANIT.
WRATISLAV. DECANO MERITISSIMO, REGII, QVOD WRATISLAVIAE
EST, PRAESIDII MEDICO, ET PROTO - PHYSICO CIVITATIS
WRATISLAV. DIGNISSIMO

MAECENATI, ATQVE PATRONO
OMNI, QVO PAR EST, HONORIS CVLTV
PROSEQVENDO

SPECIMEN HOC INAVGVLARE
TANQVAM PRIMITIAS ACADEMICAS
IN
PVBLICAM, ATQVE PERENNEM
PIETATIS, OBSERVANTIAE,
AC GRATI ANIMI
TESSERAM
INTER FERVIDISSIMA ADVOTAT
PRO PERPETVITATE
SALVTIS
OMNIS GENERIS
SACRVM ESSE IVBET

CAROLVS EPHRAIM THALHEIM.

SECTIO I.

DE VI VITAE IN GENERE.

§. I.

Vita est praesentia omnium, vel saltim nonnullarum functionum C. N. SCHOLION. Haud ignoro, si in vila alia re; tum vel maxime in vita defienda medicos inter se dissentire. Instituti nostri ratio non fert, definitiones Auctorum recensere, earumque via detegere. Sufficiat, consensum definitionis nostrae cum vsu loquendi demonstrare. Phaenomena, ex quibus praesentia vitae acclimatatur, ad pulsus et respirationis praesentiam reduci possunt. Si haec in aegro deficiunt: diem eum obesse, dicimus. Nonne vero Respiratio est functio C. H.? Nonne Pulsus est effectus a motu sanguinis progressivo, quem quisque inter functiones C. H. refert? Quid ex his clarius patet, quam, vitam ex praesentia functionum C. H. aestimari, ac definitionem nostram ita esse comparatam, ut signa, ex quibus vitam cognoscere potes, in se contineat? Necesse, ut duximus, adiicere, vitam vel nonnullarum saltim functionum praesentiam supponere. In morbis enim persaepe functiones naturales, animales et sexus penitus tolluntur, licet vita adhuc superstite, si scilicet functiones, quas vocant vitales, adhuc super sunt. Obiectio forte, fieri saepius, ut omnes C. N. functiones ad sensum sublatae sint, licet vita aegri adhuc superstite sit, ut aegri in vitam adhuc reuocentur, ut in syncope. Verum enim vero in hoc casu functiones adhuc adsunt, licet in tam exiguo gradu peragantur, ut sensus nostros fugiant. Hoc, cum ratio suadet; tum quoque excitare summos in Arte viros possemus, qui eadem sentire, scripta eorum testantur. Neque erit, quod iure quodam contra definitionem nostram proferri poterit, si hoc unum adhuc ex exemplo allato monuerimus, syncopen dici statum morti similem, propterea quod ad sensum omnes functiones penitus abesse videantur. Quod si autem in absentia functionum Essentia mortis ponitur: vita certe vi oppositorum iure meritoque per praesentiam functionum C. H. definiri poterit.

A 3

§. II.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

§. II.

Functiones C. H. sunt mutationes in C. H. obtingentes (per pr. Phys.). Iam vita est praesentia functionum (§. I.) Liquidum itaque est, vitam tanquam complexum mutationum in C. H. concipi posse. Cum vero nihil est sine ratione: necesse est, ut rationes harum mutationum in C. H. adsint. Iam vero rationes mutationum vires dicuntur. *Necesse itaque est, ut in C. H. sint vires, per quas vita determinatur sive quod idem est, vires vitae.*

§. III.

In C. H. dantur Vires vitae §. ant. Concipit tibi complexum harum virium in C. H. et subicit animum notio Vis vitae s. vitalis. Ut adeoque *Vis vitae nihil aliud sit, nisi complexus virium C. H. quae rationem vitae in se continent.*

SCHOLION. De realitate definitionis nemini dubium faboriri poterit, qui ea, quae in §. ant. prolatæ sunt, perpendit. Nihil itaque restat demonstrandum, nisi quod cum vnu loquendi, Medicos inter recepto conueniat. Si functiones C. H. in primis, quas vitales vocare consueverunt, eo quidem, quo in statu fano peragi solent, gradu perficiuntur, vim vitae validam; contra vero, si a gradu in sanitatem consueto defleunt, atque remittunt, vim vitae languidam esse, omnes inter se consentiunt Medici. Cum vero omnes, quotquot sunt, C. H. functiones a certis quibusdam viribus, quas tibi tanquam caussas eorum concipere debes, determinantur, teste Physiologia: Necesse est, ut in hoc casu, vbi functiones vitales eo quidem gradu, quo, ut peraganter, saitas exposcit, fieri obseruantur; vires, quae eas determinant, valide agant; contra vero, vbi languescunt, vires languide agant. Effectus enim caussæ semper est aequalis. Vides ex hoc exemplo, vis vitalis vigorem ex valida virium, per quas functiones vitales perficiuntur; languorem vero ex remissa earum actione aestimari. Infra vero demonstratum dabitur, has ipsas vires rationem vitae in se continent, sive omnium maxime ad vitam determinandam, conseruandamque concurrere. Quid inde aliud consequitur, quam quod vis vitae, si ad vnum loquendi in scholis medicorum receptum respicimus, ex viribus, quae rationem vitae in se continent, composita sit? Ut taceam, termini

mini Etymologiam nullum alium significatum admittere, atque idcirco cum definitione nostra exacte conuenire!

§. IV.

Cum Vita est praeſentia omnium vel saltim nonnullarum C. H. functionum (§. I.): id omne, quod efficit, ut functiones C. H. vel omnes vel nonnullae adſint, ſeu quod idem eſt, id, quod rationem functionum in ſe continet, erit cauſa vitae.

§. V.

Quaecunque vis corporis nostri rationem functionum in ſe continet: illa ad vim vitae referenda eſt, atque ex compositione harum virium tanquam partium nascitur vis vitae. Nam vis, quae rationem functionum in ſe continet, eſt cauſa vitae §. IV. Vis vero, quam tibi tanquam cauſam vitae concipis ad vim vitae referenda eſt (§. III.). Liquidum itaque eſt, vim, quae rationem functionum in ſe continet, ad vim vitae eſſe referendam. Cum vero vim vitae tanquam totum tibi ex pluribus viribus C. H. quae rationem vitae continent, compositum concipere potes (§. IV.); Vires vero, quae rationem functionum in ſe continent, rationem vitae in ſe continent, (per ant.): dubitari non potest, quin ex compositione omnium virium C. H. quae functiones dirigunt, nascatur vis vitae.

§. VI.

Vis contractilis ad stimulum et sensibilitas et Elaſticitas Partium C. H. quae organa functionum conſtituunt, ad vim vitae referendaſunt. Nam vis contractilis ad stimulum et sensibilitas et elatiſtas, quatenus certo cuidam organo inhaerent, ſunt cauſae functionum in iis perficiendarum. Cum vero vires quae rationem functionum in ſe continent, ad vim vitae referendaſunt, et vim vitae conſtituant (§. ant.): facile liquer, ante recenſitas vires ad vim vitae eſſe referendas, atque ex earum complexu enaſci vim vitae.

§. VII.

Cum irritabilitas, et sensibilitas et Vis elatiſta Partium corporis nostri vim vitae conſtituant (§. ant.): dubium eſſe nequit, *quin id omne, quod de his praedicari potest, de vi vite valeat.* Atque hoc principii vi- cem ſuſtinet, ex quo ſequentes Propositiones deduci facile poſſunt.

§. VIII.

Cum irritabilitas et sensibilitas et vis elatiſta, ſi agunt contractionem partium determinant (per Phys.); contractions vero partium C. H. mo- tus in C. H. obſeruabiles producunt (per ead. princ.): conſpici inde po- test, irritabilitatem, sensibilitatem et elatiſticitatem efficere motus in C. H.

A 4

Cum

Cum vero his ipsis vis vitae absolvitur (§. VI.): iure meritoque de hac praedicari poterit, quod sit causa motuum in C. H. obuiorum. Cum vero, id quod motus in C. H. vel excitat, vel modificant, est principium medicum (per princ. Phys); *iure meritoque vis vitae pro vero Principio medico habendum erit.* Patet inde ratio cur a quibusdam Principiū vitalis nomine insigniatur?

SCHOLION. Nos non in eo sensu vocem accipimus, quo quidem schola organica ea vtitur, mentem pro principio vitali venditans. Quodsi vero ea, quae in sequentibus s̄phis de actione principii nostri vitalis in conspectum producentur, attenta mente penitusaueris: inuenies, ea omnia, quae Stahlī sectatores de principio vitali praedicant, vi vitae tribui posse. Vides exinde, quam facilis sit, dissentientes medicorum sectas conciliandi via, si ad dissensum circa principii vitalis actionem respicias. Quid enim ad effectus, quos stahliani a principio vitali deducunt, attinet: non ab eis dissentiant, qui mechanicorum scita sequuntur cum principium vitale nomine virium vitae insignientes, his eos ipsos attribuunt. Sed, si in eo res est, vt quid sit principium illud vitale, constituendum sit; toto vt ajunt, coelo a se inuicem discrepant.

§. IX.

Cum corpus humanum viuum cogitari non poteſt, in quo ad tempus omnes motus abesse poſſint: patet, *vitam vitae, quae motuum in C. H. obuiorum rationem in ſe continet, continuo agere oportere in C. H. viuo.*

§. X.

Leges, secundum quas vis vitae agit, ex legibus, quae actionem irritabilitatis, et sensibilitatis et elasticitatis dirigunt, sunt compositae. Cum enim vis vitae nihil aliud est, niſi vis composita ex irritabilitate et sensibilitate et Elasticitate §. VI. Leges, secundum quas agit, ex Legibus, quas vires hae in agendo obſeruant, compositae ſint, oportet.

§. XI.

Per eas itaque causas, quae actionem harum virium vel excitant, vel intendunt, vel languidam reddunt, vis vitae excitatur, vel intenditur, vel languida redditur. Nam vis vitae nihil aliud inuoluit, niſi complexum harum virium §. VI. adeoque actio eius eodem prorsus modo determinabitur, et modificantur.

§. XII.

Cum Physiologia teste, non vis contractilis Musculorum et Partium musculosarum modo, verum etiam Elasticitas et sensibilitas in modo com-

DE SALVTARI VIS VITAE IN MORBIS ACTIONE. 9

compositionis corporis nostri rationem sui agnoscunt: facile patet *vim vitae eodem quoque niti*, quippe quae ex his viribus constat §. VI.

§. XIII.

Vis vitae per singulas C. H. partes diffusa est, atque distributa, ita, ut sua cuique parti sit vis vitae. Tantum non omnes C. H. partes sensibilitate, vel elastica, vel contractili vi praedita sunt, praeeunte Physiologia. Cum ex harum virium praesentia in certa parte ad vis vitalis praesentiam colligi licet (§. VI.): non obscurum esse poterit, tantum non omnes C. N. partes vi vitae instructas esse. Atque ex his luce clarius patet, vim vitae per singulas C. H. partes diffusam esse, atque distributam.

SCHOLION. Paradoxum hoc multis esse, videbitur. Sed mirari desinent, si prout cuique parti sanitatem adscribimus, eodem quoque iure vitam cuique parti adscribi posse, perpendent. Neque usui loquendi contrarium esse videretur, cum loquendi formulae in vulgo usitatissimae sint, Partem quandam resolutam vel sphacelo destruetam emortuam vel vitalitatem priuatam esse. Si haec locum proverbi obtinent: cur sua cuiusvis parti vis vitae tribuenda non sit, non video.

§. XIV.

Vis vitae non aequali gradu omnibus C. H. partibus insita est, sed aliis excellentior; aliis segnior; aliis denique minima, quae vix insensus nostros incurrit, ineft. Nam non omnibus corporis nostri partibus in uno, eodemque gradu vires, quae vim vitae constituant, neque omnes inesse, Physiologia docet, quae testatur, certis quibusdam partibus C. N. vel unam tantum ex his viribus competere, eamque in exiguo saepe gradu, vel si etiam plures earum in ea sedem habent, admodum exiguae esse efficacie; in aliis contra vel unam earum excellere, vel omnes in eminentiori gradu vigere. Cum vero vis vitae minor sit in parte, ubi vel una tantum vis, eaque exigua, vel plures, sed exiguae obseruantur; maior vero esse iudicatur, si in parte quadam vel una tantum in excellentiori gradu adsit, vel omnes vegetiores coexistant: facile intelligitur, Partibus C. H. aliis excellentiorem, aliis segniorem, aliis denique minimam vim vitae adscribendam esse; neque adeo vim vitae gradu aequali omnibus C. H. partibus inesse. Atque ex hoc fonte facile deduci potest, in scala hac cor supremum locum occupare, hoc excipere Arterias, post has ventriculo et intestinis et caeteris omnibus partibus muscularibus locum adsignari oportere. Minor deinde visceribus, vasisque variis generis, ac glandulis, minima denique vis vitae omnibus reliquis partibus C. N. adscribenda erit.

B

§. XV.

§. XV.

Diuersi sunt vis vitae gradus pro diuersitate aetatis, sexus et temperamenti. In diuersi enim sexus et temperamenti & aetatis subiectis vires, quae ad vim vitae referuntur, respectu gradus differunt. In aetate crescente sensibilitas et irritabilitas in excellentiori gradu adsunt, atque haec eo magis, quo proprior est suae origini homo. Ad finem aetatis consistentis et per reliquum vitae nostrae decursum sensim, sensimque magis vires hae decrescent, donec penitus euanescant. Si ad subiecta diuersorum temperamentorum mentem tuam conuertis: diuersos gradus virium harum in singulis hisce obseruare poteris. Sanguinei, et cholericci admodum sensibiles esse, atque irritabiles; Melancholici contra et Phlegmatici magis insensibles et stimuli patientes, putantur. Quodsi ea, quae de differentia sexuali in Physiologia docentur, euoluas: inuenies, sexum sequiorem sensibilitate atque irritabilitate potiorem antecellere. Cum itaque vires, quae vim vitae constituant, in diuersi sexus et temperamenti et aetatis subiectis gradu differunt: consequitur, vim vitae sub diuersis his subiectorum determinationibus gradu differre.

SCHOLION. Atque ex his, quae in demonstratione dicta sunt, tibi conspicuum esse poterit, cuius aetatis, cuius sexus et temperamenti subiectis vis vitae agilis atque vegeta, vel torpida magis atque ad agendum segnis tribuenda sit? Et cum vis vitae est causa morborum, et salutaris morborum solutionis, quemadmodum infra demonstrabitur: ex his tibi constare potest, in quibusnam subiectis faciles morbi, sed simul faciles eorum solutiones fieri possint? Atque cum vita vi vitae nititur: facile intellectu tibi esse poterit, quibusnam subiectis vigor vitae, quibus contra torpor quidam tribui possit? Nam quo vegetior est vis vitae: eo magis vita vigeat, oportet, et v. v.

§. XVI.

Vis vitae est pars naturae C. H. Natura enim est complexus determinationum C. H., quae sunt rationes Phaenomenorum et mutationum eius; adeoque inter alias vires irritabilitatem et sensibilitatem, et elasticitatem tanquam partes sub se comprehendit. Cum vero vis vitae in complexu harum virium consistit. §. VI.; facile elucet, naturam vim vitae tanquam partem gremio suo complecti.

SCHOLION. Atque ex his differentia, quae inter naturam et vim vitae intercedit, erari potest. Natura enim, cum vires ad vim vitae referendas

das

DE SALVTARI VIS VITAE IN MORBIS ACTIONE. II.

das, tum quoque vim attractricem vasorum capillarium C. H.; vires impellentes, vim palpitantem muscularorum, et qualitates fluidorum et solidorum C. H., quatenus certas mutationes in C. H. determinant, etc inuoluit. Vis vitae vero irritabilitatem, et sensibilitatem et elasticitatem tantum comprehendit. Atque ex his iam paret, naturam esse rationem generalem omnium mutationum C. H.; vim vitae vero rationem eorum in specie phaenomenorum, quae ab irritabili natura et sensibilitate et elasticitate C. H. dependent. Siue itaque Essentialia, siue actionem vtriusque principii agentis spectes: nullam aliam differentiam inuenis inter vtrumque, nisi, quae est inter partem, et totum.

§. XVII.

Leges generales, secundum quas vis vitae agit, ad sequentes Propositiones reduci, se patiuntur.

I. Si muscularis, partibusque muscularibus stimulus quidam applicatur, siue hic sanguis sit, siue aliud fluidum salibus hostilibus armatum, siue fluidum neruem, siue aer, siue mechanica irritatio: sit fibrarum muscularium contractio, irritationi semper proportionata.

II. Fieri potest, ut musculi contractio per consensum fiat per irritationis in musculo remoto productae propagationem.

III. Si pars muscularis maiorem in modum laceffitur: fit vel adfluxus, vel spasmus.

IV. Si in parte neruosa determinata fit mutatio: in anima fit sensatio modo grata, modo molesta pro diuersitate obiecti in neruos agentis, et diuersa eius in neruos actione, atque haec sensatio motum in corpore modo voluntarium, modo inuoluntarium sibi haber comitem. Sensationes hae, si paulo fuerint fortiores, modo voluptatis, modo pruritus, modo doloris, modo anxietatis, vel alias sensus molesti nomine insigniuntur.

V. Sensatio fortior se extedere atque propagare potest.

VI. Si sensatio fuerit maior: fit adfluxus ad partem adfectam, vel spasmus.

VII. Si vis quaedam tendens, siue haec spectetur ut causa externa, siue interna; in partem vi elastica praeditam agit: fit contractio eius.

Ex physiologicis constat, propositiones has esse leges irritabilitatis et sensibilitatis & Elasticitatis. Cum vero ex legibus, secundum quas hae vires agunt, leges vis vitae sunt compositae (§. X.): patet, propositiones has sive leges, secundum quas vis vitae agit.

B 2

§. XVIII.

§. XVIII.

Datur consensus diuersarum virium C. H., quae ad vim vitae referuntur, quatenus in parte quadam C. H. coëxistunt. Vires plures consentire dicuntur, si actio vnius rationem in se continet, cur altera agat. Si itaque demonstrari potest, vires in parte quadam corporis coëxistentes atque vim vitae constituentes hanc ad se inuicem rationem habere, ut agente una, altera agat: euidenter demonstratur, esse consensum inter vires, vim vitae componentes, quatenus in una parte corporis coëxistunt. Sed difficile demonstratu esse non poterit, irritabilitatem, si ad agendum suscitatur, sensibilitatem eiusdem partis excitare posse. Nam, si irritabilitas fortius agit: vel spasmus vel adfluxum determinat (§. XVII. n. III.); spasmus vero dolorem vel saltim sensum quandam moleustum, tensioni similem; ad fluxus vero maior fluidi pro diuersitate partium adfectarum, et gradus, quo adfluxus fit, et fluidi modo voluptatem, modo pruritum, modo sensum grauiatuum, modo dolorem determinat (per pr. Path.). Cum vero omnes hi effectus ab irritabilitate dependentes in numerum sensationum referendi sunt, et haec actionem sensititatis supponunt (per princ. phys.): facile elucescit, irritabilitatem sensititatem excitare posse. Pari ratione facilis negotio commonstrari potest, sensititatem in vicem versam excitare irritabilitatem posse. Si enim sensititas maiorem in modum agit: sensitio fortior in anima nascitur; sensitio vero fortior irritamenti vicem sustinet, quod vel adfluxum vel spasmum ad eam partem, a qua sensitio in mente excrata proficiscitur, producit. Cum vero spasmus et adfluxus post irrationem, qualisunque haec fuerit, inter effectus ab actione irritabilitatis dependentes numerandi sunt; iisque per hypothesin a sensitione oriuntur: elucer, fieri posse, ut sensitibilia, dum magis agit, irritabilitatem eiusdem partis, in qua sensitibilia excitatur, ad agendum suscitet. Tandem irritabilitas aequae atque sensitibilia elasticitatem ad agendum compellere potest. Fac enim, sensitonem fortiorum fieri, vel parti musculari maiorem stimulum applicari: fit vel spasmus, vel adfluxus maior ad hanc partem. Si spasmus fibrae musculares corripiuntur: vas a circa eas decurrentia comprimuntur, fluidum circa puncta compressa quiescere, atque vasa, et partes adiacentes distendere incipit. Atque ab hac distensione vis elastica vasorum et partium distensarum ad contractionem sollicitatur: Quodsi autem adfluxus maior sit: Vasorum, et partium, per quas vasa decurrunt, fit distensio a fluido, quae rationem in se continet, cur Elasticitas sese exferat. In utroque itaque casu sensitibilia et irritabilis natura Elasticitatem ad contractionem partis efficiendam compellit: Neque minus Elasticitas, si agitur, vim

vim irritabilem et sensitatem excitare potest. Si enim elastica partis vis agit: per contractionem eius materia tendens ad puncta vicina eius propellitur. Fac, eam esse acrem; fac, partem esse irritabilem & sensibilem: in nervis dolor; in fibris muscularibus contractio determinabitur. Quid? quod sola diffusio partis sensibilis a materia mota sensum molestum creare, et vel impetus solus, quo materia haec ad fibras musculares impellitur, vel alia qualitas eius causam contractionis proximam producere possit? Nonne vero dolor, & contractio fibrae muscularis actionem sensitatis & irritabilitatis supponunt? Cum itaque sensititas irritabilitatem, & elasticitatem; elasticitas vero sensitatem & irritabilitatem; haec vero sensitatem & elasticitatem in una eademque parte, si agit, excitat: nullum dubium est, quin vires C. H. quae ad vim vitae pertinent, atque in una parte coexistunt, inter se consentiant. Multa profecto phaenomena in C. H. obvia ex hoc consensu explicari possunt, quae vero in conspectum producere, instituti ratio vetat.

§. XIX.

Datur consensus virium, quae ad vim vitae referuntur, quatenus diuersis & a se inuicem remotis partibus C. H. inhaerent. Vires, quae in diuersis partibus C. H. latent, inter se consentire dicuntur, si vis certae cuidam parti insita, si agit, partim unam, eandemque vim, sed aliae parti connatam; partim vero aliam & plane diuersam vim remotae cuiusdam partis, vel plures, quae in ea sunt, vires ad agendum determinat. Si itaque monstrare possumus, irritabilitatem, si in parte quadam agit, & elasticitatem & sensitatem rationem in se continere, cur irritabilitas, cur elasticitas, cur sensititas partis remota agat; porro sensitatem, si in parte quadam excitatur, elasticitatem, & irritabilitatem; hanc vero, si agit, & sensitatem & elasticitatem alias partis; elasticitatem denique, si in parte quadam agit, irritabilitatem & elasticitatem in alia parte ad agendum suscitare posse: ex vero principio deducimus propositionem, quod scilicet inter vires C. N., quae vim vitae constituant, sit consensus, in quantum diuersis, & a se inuicem diffitis partibus insident. Nostrum itaque erit, singulas propositiones sigillatim demonstrare. Si irritabilitas in certa quadam parte corporis agit: vis irritabilis in alia parte excitari potest. Fieri enim potest, ut si musculus quidam irritatur, stimulus hic per consensum aliud adficiat, atque eius irritabilitatem excitet (§. XVII. n. II.); vel spasmus a maiori irritatione productus in caussam degenerare potest, unde sanguis cum impetu ad musculum, qui a communis truncu vasa habet, restringatur, atque in eo irritabilitatem excitet (§. XVII. n. I.). Si elasticitas

tas in certa parte corporis agit: elasticitas alius partis excitari potest. Si enim elasticitas agit: per contractionem vasis massa distendens ad diiam partem cum illo connexam propellitur, eamque distendendo vim elasticam, ad agendum determinare potest. Idem de sensibilitate adseri potest. Si sensibilitas maiorem in modum excitatur: sensatio fortior nascitur, quae, cum adfluxum ad partem sensibilem adfectam; tum quoque ad partes vicinas prouocat. (§. XVII. VI.) unde a congestione dolor, vel saltim sensus grauatiuus in parte vicina oritur. Huc accedit, quod, si sensatio fuerit fortior, quae in parte quadam nascitur; haec ad aliam partem propagari §. XVII. n. V, atque in ea sensibilitatem excitare possit; exemplo eorum, qui doloribus ad dentes excruciat in otalgias & cephalalgiis incident. Quid? quod sensationem semper excipiat motus? (§. XVII. IV.). Fac itaque, dolorem maiorem in parte quadam esse: sanguis fortius mouetur, atque febris oritur, a qua congestiones & alii complures morbi determinari possunt, in quibus cauſſae dolorum in partibus aliis multifariae generantur. Ut nihil dicam, sensationem fortiorē spasmum efficere (§. XVII. VI.), qui, si exacerbatur, congestiones, & spasmos in aliis partibus determinare potest, a quibus dolores, vel saltim sensus quidam molestus in iis procreantur. (per princ. path.). Casus adducti docent, sensationem in una parte obortam cauſſam producere posse, unde sensatio in alia parte eaque remota determinetur. Cumque nullam sensationem tibi concipere potes, nisi sensibilitatem agere, animo concipiās: facile ex his casibus euincere potes, sensibilitatem, si in una parte agit, sensibilitatem in alia parte excitare posse. Ad alterum momentum demonstrationis nostrae nos iam conuertamus, quod eo redit, sensibilitatem, si in parte quadam corporis agit, elasticitatem & irritabilitatem; hanc, si in parte quadam excitatur, elasticitatem & sensibilitatem; elasticitatem denique, si agit, sensibilitatem & irritabilitatem in alia parte ad agendum determinare posse. Sensibilitas, si in parte quadam corporis agit, irritabilitatem in alia parte excitare potest. Sensibilitas enim esse potest cauſa dolorum (§. XVII. IV.); hi conuulsiones late sparsas efficere possunt, si gradum excedant (per princ. Pathol.). sed conuulsiones concipi sine intensa irritabilitatis actione non possunt (per ead. princ.). Nonne itaque ex casu obuio colligere licet, sensibilitatem intensam irritabilitatem in alia parte producere? Huc accedit, quod, si sensibilitas maiorem in modum excitatur, sensatio fortior nascatur, quae adfluxum sanguinis ad partes vicinas quoque producit (§. VI. n. VI.), a quo, si ad partem muscularē cum imperu fit, irritari haec atque vis eius irritabilis excitari potest (per princ. path.). Quid? quod sensatio fortior producat spasmum
§. XVII.

(§. XVII. VI.) qui propagari ad alias partes, atque in illis vim stimuli habere, atque irritabilitatem excitare potest (§. XVII. n. II.)? Ut taceam, sensationem semper motum sibi habere comitem (§. XVII. IV.); motum vero actionem irritabilitatis tantum non semper supponere! Prout vero sensibilitas, si agit, irritabilitatem in alia parte; sic quoque elasticitatem ad agendum determinare potest. Si enim sensibilitas magis excitatur: sensatio fortior in mente excitatur, quae vel spasmum vel adfluxum humorum ad partem affectam producit (§. XVII. n. VI.). Fac, spasmum determinari; ab hoc permeabilitas vasorum per partem spasmico affectam decurrentium laeditur; materia itaque per canalem mouenda ante puncta vasorum constricta coaceruata, distendet canalem, atque vim eius elasticam excitabit; imo ob iter sanguinis per vasa a spasmico compressa impeditum sanguis ad ramos connexos maiori copia ruet, eaque distendendo, vim elasticam eorum excitabit. Quodsi autem sensatio facit adfluxum: hic quoque ad partes vicinas fieri poterit. Quod, si contingit; extenduntur hae ipsae, atque vis earum elastica ad agendum determinatur. In utroque itaque casu sensibilitas excitata elasticitatem alias partis excitat. Iam ad Elasticitatem nos conuertamus, atque demonstremus, eam, si excitatur, irritabilitatem in alia parte suscitat posse. Si vis elastica excitatur: facit contractionem partis, cui inest §. XVII. VII, per quam materia distendens ad alias partes communicantes, & vi irritabili praeditas mota, si fuerit acris, has irritare, atque irritabilitatem earum ad contractiones cire potest. Non solum vero vis elastica in motu constituta irritabilitatem, sed etiam sensibilitatem in alia parte excitare potest. Nam si contractionem partis, cui inest, producit: materiam distendentem ad alias partes propellit, quae pro mole & indole sua in ea sensum molestum procreare potest. Supereft denique, vt euincamus, irritabilitatem, si in parte quadam corporis agit, elasticitatem in alia parte ita disponere posse, vt contractionem partium producat. Irritabilitas, si excitatur, vel spasmum vel adfluxum producit (§. XVI.). Si spasmum producit: sanguis ante vasorum puncta compressa coaceruatus, vasa distendit, atque eorum vim elasticam magis excitat. Imo ob permeabilitatem vasorum laesam sanguis ad vasa connexa maiori copia ruit, eaque distendendo, vim eorum elasticam excitat. Quodsi adfluxum promouet: hic ad partes vicinas quoque fit, atque in iis vim elasticam ad agendum incitat. Neque minus irritabilitatem sensibilitatem alias partis excitare potest. Irritabilitas, si spasmum determinat, caussam producit, unde spasmus, vel congestiones in partibus aliis generari possunt. Sed quis negat, spasmos & congestiones dolorem, vel saltum sensum quendam molestum

stum sibi habere comitem? Quid? quod, irritabilitas adfluxum determinare possit, qui, si ad partes vicinas quoque contingit, sensationem plus minus molestam producit? Cum igitur demonstrauimus, vim cuiusdam partis vim alterius partis eamque diuersam excitare posse: vix opus esse existamus, demonstrare, vim partis cuiusdam agentem plures vires in parte alia simul excitare posse, cum possibilitas eius ex allatis fatis superque pateat.

Cum itaque vires, ad vim vitae referenda, quatenus diuersis partibus insitae sunt, ita inter se connexae sunt, ut una earum, si agit, rationem in se contineat, cur in alia parte vires agant: necessario consequtitur, dari consensum harum virium inter se, quatenus diuersis partibus infixa sunt. Tanti haec doctrina in explicandis morborum symptomatibus, migrationibus atque effectibus, & actionibus caussarum morbificarum in partes a se de earum remotas est vsus, ut medicus ea carere non possit.

SCHOLION. Facile demonstrari posset, consensum virium in diuersis partibus inter se consensu partium quibus insitae sunt, inter se niti, si id instituti nostri ratio permitteret. Si itaque adserimus, vires in certa quadam parte corporis excitatas, vires in aliis partibus ad agendum determinare: id de iis partibus C. H. intelligi volumus, inter quas consensus quidam est; siue hic ad vasorum coniunctiones redeat, quibus fit, ut, si iter sanguinis per ramos certos intercipitur; hic copiosius & celerius ad ramos reliquos, atque ad partes, quas hi percurrunt, deferratur; siue ad vicinitatem, vel continuitatem, vel communicationem Partium C. N. siue ad nexus nerorum inter se. Atque id principii loco esse potest, unde constituere possimus, in quanam potissimum parte vires per consensum excitentur, si vis quedam in certa parte agit?

§. XX.

Ex his conficitur, dari consensum inter vim vitalem diuersarum partium. Nam datur consensus virium, quae ad vim vitae referenda sunt, quatenus diuersis locis inherent (§. ant.). Quum vero id omne, quod de viribus, quae ad vim vitae referenda sunt, valet, de vi vitae praedicari debet (§. VII.); facile patet, dari consensum vis vitae, quatenus diuersis partibus C. H. insita est, t. quod idem est, dari consensum vis vitalis diuersarum partium.

§. XXI.

Excitata itaque in parte quadam corporis nostri una ex viribus, quae ad vim vitae referenda est; & reliquae vires eidem insitae, adeoque integra vis vitae excitari poterunt (§. XVIII.). Excitata vi vitae

tae

DE SALVTARI VIS VITAE IN MORBIS ACTIONE. 17

tae in una parte: vis vitae in alia parte cum illa connexa excitari potest
(§. XX.).

SCHOLION. Foecunda haec est propositio ad multa phaenomena in C. H. explicanda. Patet inde ratio, cur in moliminibus ad Haemorrhoides cardialgiae, colicae ad sint? Cur, si cardialgia adest, anxietates praecordiorum simul adfligant? Cur in soda dolor se per oesophagum diffundat? Cur calculum in Renibus gerentes malum ischiadicum, lumbaginem & tenesimum, strangurias, colicas, cardialgias, & vomitus experiantur? Cur doloribus podagrlicis anxietates praecordiales, vomendi conatus, aut ipsi vomitus, & colici dolores socios sese adiungant? &c.

§. XXII.

Sua cuiusque partis vis vitae est causa functionis in ea peragendae. Physiologia enim teste, constat, functionem quamvis partim a sensibilitate, partim a vi contractili ad stimulum, partim vero a vi elastica partis, in qua sit, dependere, idque ita, ut modo una harum, modo plures, modo omnes ad functionem perficiendam concurrant. Cum vero irritabilitate & sensibilitate, & elasticitate partis vis eius vitalis nititur (§. VI.): facile eluceat, suam cuiusque partis vim vitae rationem functionis in ea peragendae continere.

§. XXIII.

Sunt partes in corpore Humano, in quibus plures simul functiones, docente Physiologia, sed in his quoque plures vires, quae ad vim vitae earum efficiendam conspirant, vigent, quarum quelibet unam ex his functionibus vel plures determinat. Exemplo sit ventriculus, quem sensu acutissimo, irritabili natura contumacissima, & vi elastica praeditum esse, Physiologia docet. Sed haec simul demonstrat, ab irritabilitate & elasticitate eius motum peristalticum; a sensibilitate vero famem & sitim determinari.

§. XXIV.

Datur consensus functionum, quae in diuersis partibus peraguntur. Demonstrauimus, suam cuiusque partis vim vitae esse causam functionis in ea peragendae (§. XXII.). Si causae, quae diuersos effectus producent, inter se consentiunt, consensus quoque inter effectus est necessarius. Cum itaque inter vim vitae diuersarum partium C. H. est consensus (§. XX.): necesse est, ut simul consensus inter functiones diuersarum, atque a se inuicem remotarum partium locum obtineat, quippe quae sunt effectus a vi vitali partium, in quibus peraguntur, dependentes.

XXX

C

§. XXV.



§. XXV.

Est consensus functionum plurium, quae in una parte corporis humani sunt, inter se. Nam in certis partibus C. H. plures functiones perficiuntur, quarum singulae, vel aliquot ab una ex viribus pluribus in parte hac coëxistentibus tanquam a causa dependent (§. XXIII.). Iam consentientibus causis, quae in una parte functiones plures determinant: functiones hae plures in una parte quoque consentiant, oportet. Cum itaque vires, quae in parte quadam corporis coëxistunt; inter se consentiant (§. XVIII.); necesse est, ut functiones plures, quae in una parte C. H. sunt, simul inter se consentiant.

§. XXVI.

Functione itaque quadam C. H. mutata, vel certo modo modificata, functiones in remotis partibus mutari, certo modo modificari debent. Nam datur consensus functionum diuersarum partium inter se (§. XXIV.). Consensus vero functionum inuoluit, ut mutatio unius functionis rationem mutationis alterius functionis in se contineat. Necesse itaque est ut functione quadam mutata, alia, quae cum illa consentit, mutetur.

SCHOLION. Atque ex hoc tanquam ex principio explicare poteris, quomodo ex morbo simplici compositus oriatur? quomodo fiat, ut morbus in diffatis partibus symptomata sua producat? quomodo vitio topico in parte quadam haerente, totum saepe corpus perturberet? quomodo Medicamenta saepe in partes a sede sua remotas agant, atque earum functiones excitent, vel augent?

§. XXVII.

Eodem fere modo demonstrari potest, una ex functionibus quae in parte quadam sunt, mutata, vel certo modo modificata, functiones reliquias eiusdem partis mutari & modificari. Nam datur consensus inter functiones plures, quae in una parte C. H. sunt (§. XXV.).

SCHOLION. Haud obscura tibi ex his ratio esse potest, cur in quibusdam partibus morbi magni ab exiguis causis oriuntur? Cur ab una, eademque causa, plures functiones in una parte perturbari possint?

§. XXVIII.

Cum vis vitae est vis composita ex irritabilitate & sensibilitate, & elasticitate partium C. H. (§. VI.): *omnia ea, quae ab his viribus dependent, inter effectus vis vitae referenda sunt.* Et quam multa sunt, quae ab his in corpore humano sunt, atque aegroto pendent? Conspicuum tibi ex his esse poterit, quam late pateat virtus, atque efficacia vis vitae in C. H.!

§. XXIX.

§. XXIX.

Quaecunque a functionibus C. H. determinantur: a vi vitae dependent. Nam vis vitae est causa functionum C. H. (§. XXII.). Cum causa causae est causa causati: vis vitae est quoque causa effectuum, qui a functionibus dependent.

§. XXX.

Ea, quae ex consensu virium C. H. quae vim vitae constituant, quatenus in parte quadam coexistunt, dependent, a vi vitae deriuanda sunt. Nam quisque vel me non monente concedet, vires, quae ad vim vitae referuntur, esse vim vitae. Effectus itaque, qui ab his, quatenus inter se consentiunt, determinantur, inter effectus vis vitae referendi sunt.

§. XXXI.

Simili ratione demonstratur, *ea quae ex consensu virium, quae ad vim vitae referuntur, quatenus diuerjent, & a se inuicem remotis partibus inhaerent, proueniunt, vim vitae pro sui causa agnoscere* (§. ant.).

§. XXXII.

Denique & effectus, qui ex consensu functionum plurium quae in una parte perficiuntur aequa, atque functionum diuersarum partium inter se oriuntur, a vi vitae, tanquam a causa dependent. Omnia enim, quae a functionibus corporis nostri dependent, a vi vitae determinantur (§. XXIX.). Hinc & ea pro effectibus a vi vitae dependentibus habenda erunt, quae a functionibus C. H. quatenus inter se consentiunt, determinantur.

§. XXXIII.

Denuo haec docent, quanta sit huius vis efficacia in C. H.? quanta potestas? vt non inimerito fons omnium fere mutationum, quae in corpore animali contingunt, dici queat? Cum vero tam multiplici ratione in corpus humanum vim suam exercet; cum miris, atque vix explicabilibus vinculis secum, & cum functionibus C. H. irretita est; cum vires, ex quibus constat, nos adhuc maximam partem latent: quid mirum, quod tam multa obscura & inextricabilia circa eius actionem occurrant?

SECTIO II.

DE VI VITAE *nat' εξοχην.*

§. XXXIV.

Sunt in C. H. certae quaedam functiones, quae cum reliquis omnibus tam arcto vinculo coniunctae sunt, vt positis iis, ponantur reliquae

C 2 fun-

functiones; iis sublatis, tantum non omnes functiones tollantur; his languescentibus, tantum non omnes functiones languescant; his intensis, tantum non omnes reliquae intendantur. Atque haec a vita tam inseparabiles sunt, ut, si languescant, vita periclitetur, si tollantur, vita illico euanescat; si vigeant, vita vigeat (per princ. Phys.). *Vitales* has idcirco vocant, atque hoc nomine Respirationem & motum sanguinis progressiuum comprehendunt. Cum vero id, quo posito, ponitur alterum; quo sublato, tollitur alterum; quo mutato, mutatur alterum, iure pro causa alterius huius habetur: dubium tibi esse nequit, respirationem, & motum sanguinis circulatorium inter caussas vitae esse referendum. Vires itaque C. H., quae respirationem, & motum circulatorium sanguinis determinant, caussas vitae determinant, atque iure pro causis vitae habendae sunt. Nam ratio rationis est ratio rationati. Iam complexus virium C. H., quae rationem vitae in se continent, est vis vitalis (§. III.). Hinc *complexus virium, quae respirationem & circulum sanguinis determinant, erit vis vitae κατ' εξοχήν.*

SCHOLION. In hoc significatu recentiores medici plerique vocem hanc accipiunt, & licet primo adspexit a notione, quam in sectione priore cum hac voce coniunximus, discedere videri posset: tamen facilime ad eam reduci se finit. Supra enim vim vitae ex irritabilitate, & sensibilitate, & elasticitate omnium partium C. H. compositam, atque per singulas corporis nostri partes diffusam atque distributam esse, (§. VI. & XIII.) diximus. Iam vero irritabilitatem, atque sensibilitatem, & Elasticitatem organorum Respirationis, & circuli sanguinis vim vim vitae κατ' εξοχήν esse contendimus, vti ex §. sequenti patebit. Nonne ex his conspicuum est, vim vitae κατ' εξοχήν esse partem vis vitae, sive vim vitae partiale, quae scilicet pulmonibus, & cordi, & arteriis insita est? Neque nobis iure obiecti potest, nos hic partem pro toto sumere, cum inter vim vitae κατ' εξοχήν nobis dictam & vitam arctior nexus intercedit, quam, qui inter vim vitae reliquarum partium, & vitam, atque haec ita comparata est, vt cum vi vitae reliquarum partium quam maxime consentiat. Quid? quod definitio vitae hanc ipsam notionem vis vitae exposcat? Diximus enim (§. I.), vitam esse praesentiam omnium, vel saltim nonnullarum functionum C. H. scilicet vitalium. Cum itaque sunt casus, vbi vitam cogitare possimus, quae tantum functionibus vitalibus absolvitur: in his vim vitae cogitemus, oportet. Nam sine vi vitae nulla vita esse potest (§. III.) atque hanc cum nullam aliam esse posse, nisi, quam nos κατ' εξοχήν vim vitae vocamus, facile quisque intelligit. Atque cum, si haec adeat, vita adeat, licet reliquarum partium C. H. vis vitae evanuerit: eam vim vitae κατ' εξοχήν nuncupare, non dubitamus.

§. XXXV.

§. XXXV.

Vires, quae ad respirationem et motum Sanguinis concurrunt, sunt
I) sensibilitas, quae ob sanguinem sub quauis inspiratione diu rerenta in pulmonibus stagnantem, atque congestum efficit, ut ab itinere sanguinis, ut verbis Illustris a Haller vtar, per pulmones suppresso anxietas quaedam oriatur, quae nos compellit, ut ciamus in actionem vires exspirationis; atque, cum idem sub exspiratione contingit; hoc ipsum necessitatem nouae inspirationis nobis imponit, atque sic negotium respirationis determinat.
II) Irritabilitas, et sensibilitas Cordis, et Elasticitas, et irritabilitas, et sensibilitas Arteriarum, quippe quas motum sanguinis determinare, physiologia docet. Cum vires quae respirationem, et Circulum sanguinis determinant, constituant vim vitalem (§. XXXIV.): facile intelligitur, Vires in hoc §pho recensitas esse vim vitae *κατ' εξοχην*.

SCHOLION. Vis cordis irritabilis, si agit, vires arteriarum ad agendum determinat, atque sic principalis, atque primaria Causa motus sanguinis est. Vis vitae itaque *κατ' εξοχην* cum sensibilitate; tum vi Cordis praecipue nititur, adeoque Cor fides eius primaria dici potest. (per princ. Phys.) Si itaque explicandum est, quomodo vis vitae agat: quomodo, et quando intendatur, vel remissius agat: sufficit ad actionem cordis respicere. Vnde adparet, ad actionem virium Arteriarum respicere opus non esse, quippe quae a cordis actione determinantur, atque modificantur, quippe a qua actio earum maximam partem dependet.

§. XXXVI.

Ea, quae de vi vitae in genere praedicata sunt, (Sect. I.): de vi vitae *κατ' εξοχην* praedicari possunt. Nam vis vitae *κατ' εξοχην* est species, sub vi vitae generali, tanquam sub genere contenta, vti ex collatis §§. V. et XXXIV. et VI. et XXXV. elucescit. Cum vero ea, quae de Genere valent, de specie quoque praedicari possunt: ea omnia, quae de vi vitae in genere in sectione priore adserita sunt, de vi vitae *κατ' εξοχην* praedicanda erunt.

§. XXXVII.

Functiones vitales sunt effectus a vi vitae. Nam Functiones vitales sunt Respiratio, et motus sanguinis circulatorius (per princ. Phys.). Cum itaque vis vitae est complexus virium, quae respirationem, et Circulum sanguinis determinant (§. XXXIV.): luce clarius est, vim vitae esse caussam functionum vitalium.

C 3

§. XXXVII.

§. XXXVIII.

Motus sanguinis circulatorius, cum est effectus a vi vitae dependens (§. ant.); tum quoque est causa, cur vir vitae adsit, turque agat, Nam motus sanguinis circulatorius omnia, quae ad conseruandam, & excrandam vim vitalem requiruntur, determinat. Ad vim vitae conseruandam nervorum & fibrarum determinata structura & cohaesio requiritur. Nam structura partium & cohaesione sublata, tollitur irritabilitas & elasticitas, & sensibilitas earum (per princ. Phys.); adeoque & vis vitalis (§. VI.) Iam vero determinata partium structura, & cohaesio a nutritione; haec vero a secrezione & delatione lymphae ad partes nutriendas, secrecio vero & delatio lymphae nutritiae ad partes a motu sanguinis circulatorio dependet (per princ. Phys.). Adeoque motus sanguinis circulatorius determinat partium structuram & cohaesionem determinat. Alterum requisitum ad vim vitae, teste Physiologia, conseruandam, est influxus liquidi nervosi in nervosas & musculares partes. Sublato enim influxu eius: tollitur sensibilitas, atque irritabilitas diu superest esse nequit (per princ. Phys.); adeoque nec vis vitalis sine fluidi neruei motu ad partes sensibiles, & irritabiles consistere potest (§. VI.). Iam vero influxus fluidi neruei secrectionem eius; haec vero motum sanguinis circulatorium supponit (per Phys.). Hinc motus sanguinis influxum fluidi neruei in Partes sensibiles & irritabiles determinat. Tertium requisitum ad vim vitae est influxus sanguinis in partes musculares. Nam laesa vasorum, quae ad musculos sanguinem vehunt, permeabilitate, irritabilitate diu superesse non potest (per princ. Phys.); adeoque nec vis vitae, quae hac nititur (§. VI.). Iam vero motus sanguinis circulatorius efficit, ut sanguis per omnes partes C. H. distribuantur. (per princ. Phys.). Vides exinde, motum sanguinis circulatorium omnia, quae ad vim vitae conseruandam requiruntur, determinare, adeoque vim vitae conseruare. Cum vero id, quod vim vitalem conseruat, est causa, cur vis vitalis adsit: patet, motum sanguinis circulatorium esse causam, cur vis vitalis adsit. Iam nobis ad alterum momentum demonstrationis nostrae progrediendum est, quod eoredit; *motum sanguinis circulatorium esse causam, cur vis vitae agat.* Motus sanguinis circulatorius omnes caussas, quae vim vitae excitant, producit. Sanguis, quatenus cum impetu in cor irruit, est causa, cur irritabilitas cordis agat, vnde actio elasticitatis, & irritabilitatis, & sensibilitatis Arteriarum posthac determinatur. (per princ. phys.) Cum itaque sanguis in cor impulsus irritabilitatem cordis, & mediante hac sensitatem, & elasticitatem, & irritabilitatem Arteriarum ad agendum determinat; atque ex his

vis

vis vitae composita est (§. XXXV.): facile pater, sanguinem in Cor impulsum esse causam, cur vis vitae agat. Iam vero impulsus sanguinis in Cor motum sui praeium supponit. Fac enim, motum nullum sanguinis fieri: fieri non poterit, ut per venas maiores in cor impellatur. Vides inde, motum sanguinis efficere, ut sanguis cum impetu in auriculas cordis impellatur, adeoque causam, quae efficit, ut vis vitae agat, producere. Altera causa, cur vis vitae agat, est propulsio sanguinis in pulmones. Nam, si sanguis ad pulmones propellitur, atque ob respirationem protractam congeritur: mole sua sensum anxietatis creat, necessitatem sequentis respirationis creaturum, & eo ipso sensibilitatem, ceu vim ad vim vitae referendam excitat. Cum vero propulsio sanguinis in pulmones motum sanguinis circulatorium supponit: paret motum sanguinis circulatorium alteram causam actionis vis vitae producere. Ex his obscurum esse nequit, morum sanguinis circulatorium omnes causas, per quas vis vita ad agendum determinatur, producere. Cum vero id, quod omnes causas, quae vim vitae ad agendum determinant, producit, est causa, cur vis vitae agat: facile pater, motum sanguinis circulatorium esse causam, cur vis vitae agat.

§. XXXIX.

Vis vitae est causa sui ipsius. Motus sanguinis circulatorius est causa, cur vis vitae adsit. Cum vero motus sanguinis circulatorius est effectus a vi vitae dependens (§. XXXVII.): effectus a vi vitae oriundus est causa, cur vis vitae adsit. Iam vero id, quod per effectum suum causam producit, cur adsit, est causa sui remota. Quid inde aliud consequitur, nisi vim vitae esse causam sui ipsius, eamque remotam?

§. XL.

Vis vitae si agit, continuo causam generat, cur in posterum agat. Nam si vis vitae agit: motum sanguinis progressum determinat (§. XXXVII.); motus vero sanguinis progressus est causa, cur vis vitae agat (§. XXXVIII.). Si itaque vis vitae agit: continuo causam generat, cur in posterum agat.

§. XLI.

Vis vitae se ipsam conseruat. Si quid efficit, ut causa sui perdureret, atque conseruetur: id se conseruat. Cum itaque vis vitae est causa sui ipsius (§. XXXIX.): id efficit, ut causa sui perdureret, atque conseruetur. Adeoque se ipsam conseruat. Pari ratione *actio vis vitae se ipsam conseruat.* Nam actio vis vitae continuo causam generat, cur in posterum adsit (§. XL.). Quod vero continuo causam generat, cur in posterum adsit: id se ipsum conseruat. Nonne igitur actio vis vitae se ipsum conser-

conseruat? Denique etiam ex his demonstrari potest, *vim vitae vitam conseruare.* Vis vitae enim se ipsam conseruat. Cum vero est causa vitae (§. III.): facile patet, eam causam vitae conseruare. Id quod causam vitae conseruat: vitam conseruat. Nullum itaque dubium tibi suboriri potest, quin Vis vitae vitam conseruet.

§. XLII.

Atque ex his explicare potes, *cur vis vitae indefesso motu tot in anno diebus, tot in vita annis nunquam ferietur, neque unquam laetetur?* *Cur vitiis circa res sex non naturales admissis non admodum laesa, tam diu agat?* (§. XXXIX - XLI.).

§. XLIII.

Cum Respiratio est effectus a vi vitali dependens (§. XXXVII.): *tum quoque tanquam causa spectari potest, cur vis vitae adsit, curque agat.* Nam respiratio est requisitum absolute necessarium ad motum sanguinis progressuum in Homine nato, & si deficit, pulmones collapsi sanguini, qui in eos ex corde dextro sese euacuare conatur, obicem ponunt; inde sanguis ex capite redux ante cor dextrum clausum stagnat; ex pulmonibus per venas pulmonales ad auriculam posteriorem remeare, eamque ad contractionem sollicitare nequit. Quid inde consequitur? Nonne actione cordis sufflaminata, ob sanguinem in eo accumulatum, & refluxum ex pulmonibus cohibitum motus per reliquas partes C. H. aequa, atque per pulmones cessare debet? Colligit inde iure potest, respirationem in Homine nato esse causam motus sanguinis circulatorii, sine qua non. Cum vero circulus sanguinis rationem in se continet, cur vis vitae persistat, atque agat (§. XXXVIII.): facile intelligitur, respirationem esse causam remotam, cur vis vitae adsit, curque agat. Nam causa, quae determinat causam proximam effectus cuiusdam; huius est causa remota. Atque ex his nexus, qui respirationem inter, & motum sanguinis intercedit, indissolubilis simul elucet, quo scilicet haec functiones ita in se mutuo influunt, ut respirationem motum sanguinis; hic vero respirationem (XXXVIII.) in Homine nato & determinet, & conseruet. Atque ex his simul veritatem propositionum perspicies: *Quamdiu scilicet respiratio manet: circulus sanguinis, & quae ab hoc dependet, vis vitae manet;* & *quamdiu circulus sanguinis manet: respiratio manet,* si scilicet reliqua requisita ad utramque functionem, scilicet organa illaesa, fluidineruei influxus &c. adiungunt. Cumque vita est effectus a vi vitae dependens (§. III.): *haec tamdiu aderit, quam diu vis vitae adsit, & cessabit, quam primum vis vitae agere definit.* *Hinc tamdiu aderit, quamdiu motus circulatorius, & respiratio adiungit, & cef- fabit*

sabit, motu sanguinis, & Respiratione cessante. Porro languescente, atque imminuta admodum respiratione, & motu sanguinis circulatorio: vis vitae languebit, & respiratione ita intensa, ut celer, & frequens fiat, vis vitae intense ager aequa, atque in eo casu ubi motus sanguinis progressius acceleratur. Nam a praesentia caussae ad praesentiam effectus, atque a quantitate caussae ad quantitatem effectus valet consequentia. Atque his fida rerum magistra, experientia applaudit.

§. XLIV.

Cum vero circulus sanguinis est effectus a vi vitali dependens (§. XXXVII.): tamdiu motus sanguinis circulatorius aderit, quamdiu vis vitae agit. Si vis vitae absolute intenditur: motus sanguinis celerior fit, atque intenditur; si vis vitae absolute remittitur: motus sanguinis lentus erit, atque tardus. Sublata vero vi vitae: cessabit. Etiam haec ratione die usus rerum comprobatur.

§. XLV.

Vis vitae est caussa motus sanguinis & Respirationis (§. XXXVII.). Motus sanguinis vero & Respiratio sunt concaussae vel proximae, vel remotae, vel prae disponentes omnium functionum C. H. (per princ. Phys. & §. XXXIV.). Cum vero ratio rationis est quoque ratio rationati: necesse est, ut vis vitae *κατ' εξοχην* sit causa omnium functionum C. H.

§. XLVI.

Irritabilitas, & sensibilitas, & elasticitas modo minor, vel maior esse; modo magis, vel minus a caussis suis determinatis excitari potest (per princ. Phys.). Cum vis vitae his viribus absolutur (§. VI. XXXIV.): vis vitae modo minor, modo maior esse; modo magis, vel minus a caussis suis excitari potest. Vnde patet, vim vitae modo intense, modo remissione agere posse.

§. XLVII.

Vi vitali absolute intensa: motus progressius sanguinis intenditur; adeoque & plurimae functiones C. H, quae ab hoc dependent. (§. XLV.). Nam vis vitae est caussa motus sanguinis (§. XXXVII.). Cum vero, quo maior est caussa; eo maior eius est effectus: facile patet, motus sanguinis intendi oportere, vi vitae absolute intensa. Cum vero motus sanguinis est caussa functionum: facile patet, in eo casu, ubi hic intensior est, functiones C. H. intensas esse oportere! Iam vero in casu, ubi vis vitae intenditur, motus sanguinis intenditur. Ergo in casu, ubi vis vitae intenditur; functiones C. H. intensae esse debent.

SCHOLION. Sed, cur vim vitae absolute intensam esse oportere, statuimus? Sunt casus, vbi vis vitae intensa est, licet motus sanguinis non sit celerior, e. g. in Plethora, & spissitudine sanguinis. Necessaria itaque fuit restri^{ctio}, quod vis vitalis absolute & sub ratione vis inertiae augeri debeat. Fac, enim, vim vitae relative intendi respectu resistentiae: motus sanguinis non intenditur. Porro dubium hic remouere debemus, quod cuiquam facile nasci posset. Scilicet, motu sanguinis aucto, plurimas tantum ex functionibus, quae ab eo dependent, augeri diximus. Cum motum sanguinis caussam omnium functionum esse, adserimus; & caussa aucta, effectus omnes eius augeri debent: obiici nobis posset, motu sanguinis aucto, omnes functiones augeri oportere? Verum enim vero sunt quaedam functiones C. H. ita comparatae, vt motum sanguinis determinatum, neque nimis tardum; neque iusto celeriore aequa, ac robur solidorum requirant. Cum vero utrumque sub motu sanguinis celeriori locum non inuenit: tantum abest, vt sub eo intendantur; vt potius languescant. Quid? quod motus sanguinis progressius sit tantum ratio insufficiens quarundam functionum? In quo casu hae a motu sanguinis progressu parum, vel nihil intendi possunt. Ut taceam, a motu sanguinis celeriore caussas generari posse, per quas functionis vigor imminuit?

§. XLVIII.

Vi vitae absolute remisso agente: motus sanguinis progressius, & omnes functiones, quae ab eo dependent, remittant, oportet (§. ant.).
Nam contraria contraria est ratio.

SCHOLION. Sunt casus vbi vis vitae remissius agit, licet motus sanguinis non modo non tardior sit, verum etiam celerior fiat. Fac, plethoricum per Haemorrhagiam vel naturalem, vel artificialem determinatam sanguinis quantitatrem effundere: vis vitae, siue actio cordis tam intensa esse desinit, quam quidem ante fuit. Sed celeritas sanguinis augetur. Vnde patet, vim cordis relative ad resistentiam remittere posse, licet motus sanguinis non modo non imminuat; verum etiam augeatur. Necessarium itaque esse duximus, addere, vim vitae non relative respectu massae Humorum; sed absolute remittere oportere, si motus sanguinis imminui debet.

§. XLIX.

Vis vitae, si intenditur, vel remittit; est caussa morborum. Quodsi autem in determinato gradu agit: est ratio sanitatis. Demonstraimus, quod, si vis vitae intenditur, motus sanguinis progressius, & tantum non omnes, quae ab eo dependent functiones intensae sint (§. XLVII.); contra in easu, vbi vis vitae languescit, omnes functiones lan-

languidae sint, atque remissae. Quis vero est, qui neget, functiones C. N., siue gradum excedant, siue languide peragantur, morbos constitueret? Quid enim morbus aliud est, nisi status C. H. viui, vbi functiones ad eius conseruationem non consentiunt? Et nonne functiones exacerbatae, & remissae ad destructionem potius, quam ad conseruationem corporis tendunt? Itaque, siue vim vitae ultra modum, vel iusto remissius agentem tibi concipias: morbum ab eo determinari, tibi concipias, oportet. Quodsi autem vis vitae in gradu determinato agit: est ratio sanitatis. In statu sanitatis omnes functiones in determinato gradu, moderateque perfici debent (per princ. Phys.). Cum effectus omnis caussae suae aequalis est: caussa, a qua functiones C. H. pendent, in determinato gradu agere debet. Iam vero caussa, a qua omnes functiones dependent, est vis vitae (§. XLV.). In statu itaque fano hominis vis vitae determinato gradu, moderateque agere debet. Ex quo facile adparet, sanitatem, quamdiu vis vitae moderate agit, saluam esse, atque integrum oportere, & vim vitae in determinato gradu ageatem tanquam rationem sanitatis spectari posse.

SECTIO III.

DE ACTIONE VIS VITAE SALVTARI
IN MORBIS.

§. L.

Vis vitae est ratio, cur morbi soluantur, si intense agit. Functiones C. N. caussas morborum possibiles continuo ex corpore remouent, atque sic morbos praecauent. Si ad actionem cordis & Arteriarum respicimus: per hanc spissum sanguinem resoluunt, atque humores ad putredinem pronostrant ab ea custodiunt, atque acrimoniam humorum praecauerunt, Physiologia duce, atque magistra intelligimus. Respirationem iter sanguinis per pulmones, refluxum sanguinis a capite expedire, tenuem sanguinem condensare, spissum resoluere, sanguinis per viscera abdominalia lente moti gradum accelerare, digestionem, atque excretionem aluinam, & vrinae actione diaphragmatis promouere, Physiologia docet. Quid de excretionibus naturalibus dicam, quippe quae humores abundantes, particulas eorum acres, atque ad putredinem in uterum massam humorum disponentes continuo ex corpore expellunt? Quid ex his clarius patet, quam in statu naturali functiones C. H. semina morborum destruere? Fac vero,

D 2

fun-

functiones C. H. per suas caussas intendi: effectus ab iis dependentes maiores erunt. Nam, quo maior est caussa: eo maior est effectus. Iam vero inter effectus functionum iure id refertur, quod caussas morborum possibles ex corpore arceant. Si igitur functiones corporis intenduntur valide caussis morborum resistant, easque e medio tollant oportet. Cum vero id, quod caussas morborum tollit, eos soluit (per princ. Path.): nullum dubium est, quin functiones C. H. si in maiori gradu perficiuntur, morbos soluere possint. Cum vero vis vitae, si intense agit, est ratio, cur functiones gradu intensiore fiant (§. XLVII.); & ratio rationis est ratio rationati: facile intelligitur, vim vitalem, si intensius agit, soluere morbos posse.

§. LI.

Praeter has vero solutiones morborum, quas functiones C. H. auctas ad certum gradum esse, euicimus; aliae adhuc sunt. Pathologia scilicet teste, dantur morbi, qui, si aliis morbis superuenient, eos soluant salutatiter. Hos solutares vocant Medici. Hi vel dependent a morbo soluendo, atque in hoc casu sunt symptomata eius; vel minus; atque tum vel a caussa quadam communis dependent, velatio quocunque modo admissis causis eos determinantibus generantur. Siue itaque morbus quidam salutaris fuerit symptoma morbi soluendi; siue a caussa communis quadam oriatur: vis viralis rationem eius in se continere potest. Fac, morbum salutarem a caussa, quae communis cum morbo ei est, vel alio quocunque modo ortum esse, atque causam hanc communem vim vitalem intense agentem esse, ut hoc possibile (§. L.) demonstrauimus: in hoc casu vim vitae morbum salutarem produxisse, luce clarius est. Pone, morbum salutarem esse symptoma morbi, atque morbum, cuius symptoma est, a vi vitae vel intense, vel remisse agente dependere; eriam in hoc casu vis vitae erit caussa morbi salutaris, licet remota. Nam caussa caussae est caussa caussati. Imo in casu, vbi morbus salutaris alio modo a caussis suis determinatur: vis vitae causa eius esse potest. Fieri enim potest, ut vis virae, quatenus vel intense, vel remisse agit, caussam eius constituat. Ex his facile adparet, possibile esse, ut vis vitae sit caussa morborum salutarium. Infra ex exemplis patet, vim vitae reuera esse caussam morborum salutarium.

§. LII.

Vis vitae efficaciam morbi vel ex parte, vel ex toto infringit. Facile quisque mihi conceder, in morbis esse vim vitae. Nam in morbis est vita; adeoque & ratio vitae adsit, oportet. Vis vitae vero ut vis concipi potest, quae ad conseruationem vitae tendit (§. XLII.). Morbi vero tanquam

quam vires concipi possunt, quae ad destructionem vitae tendunt (per Path.). In aegrotis itaque duae vires e diametro sibi oppositae, vis scilicet vitae, & morbus coexistunt. Quodsi autem duae vires sibi oppositae simul agunt: una alterius efficaciam vel ex parte, vel ex toto infringit (per pr. Phys.). Dubium itaque tibi esse non potest, quin vis vitae efficaciam morbi vel ex parte, vel ex toto infringat.

§. LIII.

Si vis vitae est aequalis morbo: neque effectus a vi vitae dependentes, neque ii, qui a morbo dependent, locum obtinebunt. Nam si duae vires adsunt, directe sibi oppositae, & aequales: hae sece destruunt, neque effectus oriri potest. In hoc itaque casu neque conseruatio, neque destruacio vitae erit possibilis (§. ant.). Neque adeo solutio morbi exspectanda erit, quippe quae a vi vitae exspectari posset (§§. L. LI.). Necesse itaque est, vt tunc aeger in maximo discrimine versetur. Nam morbus perdurat in eadem vehementia, atque in cauissam noui morbi degenerare potest.

SCHOLION. Aestimatur hic casus, si status morbi adest. In hoc enim maximum est vitae periculum, morbusque neque increscit, neque decrescit (per princ. Path.).

§. LIV.

Si vis vitae in morbis languescit, & a gradu, in statu sanitatis consueto remittit: metus est, ne morbus lethalem euentum nanciscatur. Si enim duae vires oppositae sibi sunt, sed inaequales: effectus a vi maiori praevaleat. Si itaque vis vitae in morbo fuerit minor: morbi efficacia in corpore destruendo increscit, morbusque lethalem euentum fortitur.

SCHOLION. Obuius est hic casus in morbis, in quibus functiones vitales, & reliquiae vel valde immittuntur, vel multae plane cessant. Cum enim vis vitae est causa functionum: hae, si valdopere immunitae sunt, vel multae earum penitus destructae: signa vis vitae valde languescentis, & in multis partibus penitus sublatae nobis exhibent. Nam a quantitate effectus ad quantitatem causae, & ab absentia eius ad absentiam causae V. C. Cum iudicio practicorum exacte conuenit haec propositio, qui respirationem parvam, altam, sublimemque, atque in aequalem; pulsusque debilem, rarum, paruumque, intermittentem in morbis merito damnant.

§. LV.

Quo maior vero vis vitae in morbis est, & actio eius ad determinatum usque gradum agit: eo maior spes est, fore, ut morbus salutariter soluat. Quo magis enim vis vitae viget; eo maior spes est, eam a morbo haud facile imminutumiri. Cum vero vis vitae continuo agit (IX.); atque, si ad determinatum gradum intenditur; morbum salutariter soluere potest (XLIX.): in casu, ubi vis vitae in morbo viget, salutaris solutio sperari potest.

SCHOLION. I. Necessarium esse, iudicauimus, adiicere, quod vis vitae ad determinatum usque gradum intendi debeat. Nam si vis vitae a morbo ita intenditur, ut pulsuum numerus in minuto primo ad CXXX - XL. adscendat: homo moritur, quemadmodum praeceuntem habemus illustrarem a Haller in primis lineis p. 84.

SCHOLION. II. Aestimari hic casus potest, si functiones vitales, & reliquae plurimae intensae esse, obseruantur. Nam cum hae a vi vitae dependent (§. XXXVI.); si intensae sunt; signa vis vitae intensae nobis exhibent. Nam a quantitate effectus ad quantitatem causae V. C. Hinc respiratio magna, celer, & frequens, fortis, plena, profunda; pulsus celer, & frequens, & fortis suo modo spem salutaris solutionis morbi faciunt.

§. LVI.

Vi vitae solutiones morborum therapeuticae nituntur. Solutio-
nes morborum therapeuticae sunt, quae fiunt per remedia, & medicamen-
ta. Cum vero omnes morbi ad functiones C. H. vel deficientes, vel im-
minutas, vel intensas reduci possunt (per princ. Pathol.): solutio morbo-
rum triplex erit, atque vel fiet per functionum absentium restitucionem,
vel languescentium augmentum, vel exacerbatarum imminutionem. Me-
diorum itaque, per quae solutiones fiunt, triplex quoque modus agendi
erit, atque vel functiones deficientes restaurabunt, vel languidas augebunt,
vel intensas imminuent. Atque in omnibus his casibus viribus C. H. opus
est. Nam hae sunt causae functionum (per princ. Physiol.). Cum vero
effectus restitu nequit, nisi restituta causa; neque augeri, neque imminui,
nisi aucta, vel imminuta causa eius: paret, functiones restitui non posse,
nisi restitutis, vel excitatis viribus, per quas perficiuntur; neque imminui,
neque augeri, nisi hae augeantur, vel imminuantur. Adeoque Remedia,
& medicamenta vires C. H. vel excitent, vel augeant, vel imminuant,
oportet. Cum vero vires, per quas functiones C. H. fiunt, vim vitae
con-

DE SALVTARI VIS VITAE IN MORBIS ACTIONE. 31

constituant (§. V.): necesse erit vt medicamenta, & remedia vim vitae vel excident, vel imminuant, vel augeant. Vnde apparet, ad actionem medicamentorum vim vitae requiri. Cum vero actione medicamentorum nitatur solutio morborum therapeutica: ad hanc vim vitae requiri patet.

§. LVII.

Cum itaque vis vitae morbos salutariter soluit (§. L. LI.), & efficaciam eorum infringit (§. LII.), & ad solutiones morborum therapeuticas concurrit (§. ant.): nemo erit, qui salutarem eius in morbis actionem in dubium vocet.

§. LVIII.

Cum vis vitae esse causa morborum salutaris solutionis potest (§. L. LI.): opere premium facturos nos esse, iudicamus, ex observationibus casus quosdam enarrare, ex quibus, vires cordis & aliarum partium, quae ad vim vitae referuntur, per morbum, vel causam, vel symptoma eius excitatas morbos salutariter soluere, demonstratur.

§. LIX.

Si materia acris; si stimulus, vti sanguis, maiori quantitate, & impetu cordi applicatur; si spasmus periphericus, si inflammatio, si obstrutio, si stasis adest: vis vitae intenditur; motus sanguinis circulatorius augetur, atque per hunc materia acris per excretiones naturales auctas evanescatur; obstructions reserantur, inflammationes discutiuntur, spasmus periphericus tolitur.

§. LX.

Si a materia acri, si a Plethora, si a spissitudine sanguinis febris oritur: per excretiones naturales sub paroxysmo febris remittente subortas materia acris eliminatur; plethora imminuit; spissus sanguis per arteriarum actionem intensam resoluitur, atque sic causa febris sub paroxysmo febri subacta, paroxysmus soluitur.

§. LXI.

Si Plethora adest: haec, si commouetur, cor ad vegetiores contractiones sollicitat, vnde celeritas sanguinis aucta congestiones ad certa loca determinat. Inde Haemorrhagia, per quam Plethora soluitur.

§. LXII.



32 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MÉDICA DE SALVTARI ETC.

§. LXII.

Materia maligna exanthematica, per M. H. diffusa, per modum irritationis vim vitae intendit, & febrem inducit, per quam humores ad perimetrum, atque cum his materia exanthematica deponuntur, atque evanescuntur.

§. LXIII.

Si variolae iam in perimetrum corporis effunduntur: vis vitae intenditur; oritur febris, quae facit, ut variolarum regressio impediatur.

§. LXIV.

Fit saepe, ut in morbis exanthematicis admittantur causae spasmorum peripherici, per quem materia exanthematica ad interiora propellitur. Partim ab irritatione, partim a spastico peripherico oritur febris, per quam exanthemata iterum restituuntur.

§. LXV.

Si quis frigus admisit liberalius ad corpus: materia perspirabilis ad interiora propulsâ, per vires vitae vel ad narcs, vel ad Intestina, seu loca secretoria analoga iis, quae in cure sunt, deponitur; oritur inde coryza, Phlegmatorrhagia, vel diarrhoea, per quam noxia haec materia evacuantur.

§. LXVI.

Sufficient haec! Cum de conseruanda & excitanda vi vitae in morbis in Therapia satis, superque agitur: actum ageremus, si haec hic repetere, vellemus.

T A N T V M .



LXXXI

Ua 4235

ULB Halle
001 500 996

3



sb

DISSE²TATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

SALVTARI VIS VITAE IN MORBIS ACTIONE.

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DOMINO

D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR.

ACADEM. CAESAR. NAT. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL. ET REG.

BEROL. SCIENT. SODALI

PATRONO, FAVTORE ET PRAECEPTORE
OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDOPRO
GRADV DOCTORIS
SOLLEMNITER CONSEQVENDO

DIE IULII CCCCLXIV.

H. L. Q. S.

PVBLICE DISSERET

AVCTOR

CAROLVS EPHRAIM THALHEIM
CONSTADIO - SILESIVS.

HALAE AD SALAM,

EX OFFICINA BEYERIANA.